

Q. F. F. Q. S.

COLLEGII PUBLICI

DISPUTATIO II.

Exhibens

SELECTIONORES CONTRO-
VERSAS

Ad

LIBR. II. PANDECTA-
RUM,

Quam

In ALMA FRIDERICIANA

SUB PÆSIDIO

DN. JO. SAMUELIS STRYKII,
J.U. Lic. & Prof. Publ. Extraordinarii,

IN AUDITORIO PUBLICO

Die XVII. Martii A.R.S. M DC XCIV.

placidæ disquisitioni
submittit

JO. ANDREAS DETMAR,

Wolfenbüttelenfis.

H. A. L. E., Literis SALFELDII, Regiminis Elect. Brandenb. Typ.



COLLEGIJ PABRICI

DISPUTATIO II.

Exhibens

SELECTIORES CONTRA

VERSAS

LIBR. H. P. ANDECTA.

RUM

MAGNA FRIDERICIANA

SUB PÆSIDI

DN. JO. SAMUELIS STRYKII

Publici & Privati Juris Professoris Ordinarii

in Auditorio Publico

ANNO 1741

prolegomena

JO. ANDREAS DETMAR

HALLE. In aed. J. C. SCHULII. Typ. Joh. Friedr. Weyh. 1741.



B. C. D.

Th. I.



Jurisdictionem per errorem

prorogari non posse, docet Ulpianus in *L. 15. ff. de Jurisdic.* Quod si vero scienter facta sit prorogatio, subsistit sententia etiam a non competente giudice lata, sive illa prorogatio fiat conventionione, sive lege. *tot. tit. C. Si à non compet. jud. &c.* Quod an hodie adhuc obtineat, disputant Dd. Negat in primis Matth. Steph. *de Jurisdic. Lib. I. c. 25. n. 50. & seqq.* Hilliger. in Donell. *Lib. 17. cap. 10. lit. N.* Nos tamen affirmativam defendimus cum Mevio *Part. 3. Dec. 219. n. 3.*

Th. II.

Neminem sibi suisq; jus dicere posse, ex *L. 10. ff. de Jurisd. constat*: Posse tamen judicem propriam injuriam ulcisci, si ipsi ratione officii illata, existimat Gail. *Lib. I. O. 39. n. 2.* Quanquam ad evitandas suspiciones & coercendos affectus consultius sit, ut judex consilium Jureconsultorum requirat. Conf. B. Brunnemanus ad *d. L. 10.*

Th. III.

Concessa jurisdictione, concessa quidem est potestas coercendi contumaces, sed non merum etiam imperium, cum hoc speciali semper concessione opus habeat, *L. 1. §. 1. ff. de Off. ej. cui mand. est jurisd.* Quando ergo Rectoribus Universitatis Jurisdictionem in Studiosos tribuit Fridericus, in *Auth. Habita C. ne fil. pro patre*, non statim illud de imperio mero intelligendum, nisi specialiter hoc in Universitatis Privilegiis comprehensum.

Th. IV.

Jurisdictionis variis modis, 10. 20. 30. vel 40. annis, imo immemoriali tempore praescribi potest.

] [2

Th. V.

Th. V.

Merum imperium in mortuum exerceri non potest. Accidit tamen ut interdum etiam de cadaveribus executio sumatur, uti in Anglia de Cromvellido memorabile extat exemplum. Hoc autem non fit eum in finem, ut puniantur cadavera, quia illa sensibus carent, adeoque pœnam sentire non possunt, sed ut nota & animadversio quædam etiam post mortem duret in exemplum aliorum. Similiter in crimine Sodomitico nec bruta proprie plecti dicuntur, sed ut scandalum tantum tollatur, removeantur.

Th. VI.

Si quis illud, quod perpetuæ jurisdictionis causa publicè propositum, dolo malo corruperit, eum actione de albo corupto ad pœnam 50. aureorum teneri, Ulpianus tradit in *L. 7. pr. ff. de Jurisd.* Idem adhuc hodie obvenire posse, si v. g. Studiulus corrupat vel dilaceret, quod jurisdictionis academicæ causa propositum, existimamus. quæ tanquam loco pœnæ pecuniariæ alia arbitraria decernenda foret.

Th. VII.

Retorsio, quanquam semper videatur aliquid habere illiciti, est tamen justissima, si non injuriam, sed jus alteri retorqueamus, de quo agitur in *tit. ff. Quod quisq; jur. in alt. stat. Sc.* Constituit enim ejus fundamentum in æqualitate juris ubiq; observanda, & in regula Christi; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Th. VIII.

Illud vero queritur, an, qui novum jus impetravit, si isto jure usus non fuerit, nihilominus tamen teneatur? Respondemus affirmando per *L. 3. pr. ff. Quod quisq; juris Sc.* forte enim occasionem utendi non habuit; Quod tamen cessare existimamus, si non ad supplicationem partis, sed proprio motu Princeps tale jus constituerit.

Th. IX.

Affessoris imperitia judici non nocet *L. 2. ff. Quod quisq; jur. Sc.* Sed affessor in propria persona obligatus est, & conveniri potest ex edicto; *Quod quisq; juris.* Hoc autem Romanorum

tem

temporibus tantum processisse putamus, ubi iudices dignitate militari conspicui, & juris sapienter imperiti, autoritatis solum gratia adhibebantur. Hodie autem, cum iudices peritia juris instructissimi, licet assessor sinistram suppeditet consilium, & hic illud sequatur, ipsum ex hoc edicto teneri forte dicendum.

Th. X.

Nemo illas personas, quibus singularem reverentiam debebat, ut filius patrem, vasallus dominum &c. sine impetrata venia in jus vocari poterat, prout id Modestinus docet in *L. 13 ff. de in jus voc.* Sed quaeritur, an illud adhuc observetur? & multi reperiuntur Doctores, qui negant, uti Cujacius *L. 1. O. 10.* Multi etiam, quibus opinio affirmativa placet, quos videre licet apud Giphani. *Lib. 1. de Ordin. jud. c. 12.* Mediam vero amplectimur viam, & licet venia impetratio in nostris judiciis non requiratur, quia vocatio in jus non amplius in privatorum consistit arbitrio, ut olim, ubi altera pars litigans alteram oborto quasi collo in iudicium rapere poterat, sed autoritate publica fieri debet; actor tamen nomen, dignitatem & vinculum consanguinitatis in libello exprimere debet, ut iudici inde constare possit, an citatio decernenda sit, nec ne, & in actione, quae tamquam quid detrahit, verbis remperet. Si vero hoc aliunde jam satis novit Iudex, eo ipso veniam dedisse censetur.

Th. XI.

Patronum non posse a libertis sine venia in jus vocari Ulpianus auctor est in *L. 4. §. 1. ff. de in jus voc.* Extendunt hoc Dd. communiter ad vasallum, nec hunc sine venia dominum feudi in jus vocare posse affirmantes; Falluntur tamen, cum vasallus non ratione personae sed ratione praedii domino sit obstructus: Nec comparatio inter vasallum & patronum perpetua. Mynsing. *Obs. qu. 1. 4.* Everhard. *loc. cit. n. 15. & 16.* Imo sublata venia impetratio, prout praecedenti thesi docuimus, quasi inutilis quaestio est.

Th. XII.

Tritum illud Germanorum est: Wo kein Kläger ist / da ist auch
] [2

auch kein Richter h. e. Judex non, nisi imploratus, officium suum impertire, & nemine urgente citationem contra aliquem instituire solet. Sed hæc regula tantum obtinet in causis privatis, non publicis, in quibus judex nullo existente actore aliquem citare potest. c. *Qualiter X. de accusat.*

Th. XIII.

Est inter Doctores controversia, an citatio saltem fieri debeat absentibus, & an illi, qui ex alia causa præfentes sunt, non citandi? Nos etiam hoc casu citatione opus esse dicimus, cum non sola comparitio sit finis citationis, sed etiam præparatio, & huc pertinet exceptio non factæ citationis ad hanc causam. Carpzov. P. 1. C. 2. D. 27.

Th. XIV.

Præscriptionem longissimi temporis h. e. 30. annorum per citationem interrumpi, apparet ex L. 3. & 7. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Jure autem novo quævis præscriptio sive longi, sive longissimi temporis citatione interrumpitur, imo sola denunciatione extrajudiciali coram Notario & testibus interposita, per N. 119. c. 7.

Th. XV.

Si quis in criminalibus incarceratum vi eximat carceri Principis, ob læsam Majestatem tenetur, arg. L. 8. ff. de custod. reorum. Sed si incarceratus evadat, an custos carceris ad eandem teneatur pœnam, qua reus? Ubi distinguunt communiter: Aut elapsus est dolo custodis, fortè quòd pecunia corruptus sit, & tunc omnino secundum rigorem juris eadem pœna, qua reus, afficiendus est, per L. 4. C. de custod. reorum. Sin ex lata custodis culpa, puta ex improvidentia erupit, pœna est arbitraria. Nos pœnam non majorem hic locum occupare, quàm fustigationis, statuimus cum Carpzovio in Prax. Crim. Q. III. n. 105. & seqq. & B. Brunnem. ad d. L. 4.

Th. XVI.

Th. XVI.

Teneri actione injuriarum, qui locupletem fidejussorem judicio sistendi causa non acceperit, monet Cajus in *L. 5. §. 1. ff. Qui satisd. cog.* Quæritur itaq; an Principem, qui notoriè locuples fidejussor est, absq; injuria quis recusare possit? Placet affirmativa, quoniam potentem fidejussorem recipere nemo tenetur: Hering. *de fidejuss. c. 7. n. 599.* quemadmodum fidejussor etiam, si principalis sit potentior, beneficio ordinis uti nequit, Vid. Disp. Dn. Præsidis *de Potent. Cession. cap. 3. §. 16.*

Th. XVII.

Eum, qui vi exemit, teneri, quanti ea res est ab actore æstimata, de qua controversia est, vult Ulpianus in *L. 5. §. 1. ff. Ne quis eum, qui in jus voc. in exim.* Sed hic æstimationem juratam requirunt Wesenbecius & Hahnus, ut & Rolandus à Valle *Vol. 1. Conf. 37. n. 18.* Nos vero contrarium statuimus, & æstimationi actoris etiam injuratæ credendum existimamus cum Hillig. in *Donell. Lib. 15. c. 27. lit. D.*

Th. XVIII.

Si actoris non interfit, non comparuisse reum, non datur ipsi eo nomine actio, per expressum textum in *L. 8. ff. Si quis caut. in jud. sist. caus. fact.* miramur igitur, cur Cæsius ad *d. tit. n. 1. & seqq.* contrarium asserat.

Th. XIX.

Ferias universales constituit Princeps *L. 4. C. de fer. Idem hodie ad Status Imperii vi superioritatis territorialis pertinet, propter art. 5. §. Jus diocesantum 48. Instrum. Pac. potestate Pontificis, quam in ecclesiasticis sibi arrogabat, in terris Protestantium suspensa. Hinc patet magistratus reliquos, licet majores, si non sunt Status Imperii, ferias indicere non posse.*

Th. XX.

In feriis divinis, in primis die Dominica, non saltem a jure dicendo, sed aliis etiam operibus abstinendum esse, sapientissimè
Con-

Constantinus in *L. 3.* & Leo in *L. ult. C. de fer. constituerunt*. Ex quo patet, quam illicita sint eo die exercitia civium v. g. des Freyschiessen / it. die Zusammenkünfte der Handwerker vor der Lade. Vid. B. Brunnem. *Jur. Eccles. Lib. 2. c. 1. Membr. 1. §. 9.* Iniquum tamen non esse, tempore messis, fructus, si ob continuam tempestatem reliquis diebus profanis non liceat, die dominica finitis sacris colligere, existimamus. Scaccia de *Jud. Lib. 2. c. 5. n. 35.* Probe etiam in der Fürstl. Braunsch. Wolfenb. Landes-Ordnung art. 20. cautum, ut computationes illar tempore Quadragesimarum & Pentecostes, das Pfingst-Bier / Fastnachts-Gelage / abrogentur.

Th. XXI.

Propter assertum Ulpiani in *L. 1. pr. ff. de fer. ubi; messum tempore adversarium cogi non posse, ut in iudicium veniat*, praxis generaliter recepit, omnem reum exceptione feriarum, tempore messium se tueri posse, etiamsi in messibus ipse occupatus non sit, Carpz. *P. I. C. 3. D. 22. n. 7.* Quam tamen id a ratione legislatoris alienum sit, docet. B. Brunnem. in *Process. Civ. c. 6. n. 23.* cujus & nos sententiam amplectimur.

Th. XXII.

Quemadmodum Judæi Christianos die dominica, ita vice versa Christiani Judæos, die Sabbati, in jus vocare prohibentur, per *L. Die Sabbati 13. C. de Jud.* Similiter nec torqueri, nec suffragari, nec ad ultimum supplicium eodem rapi possunt.

Th. XXIII.

Reo in crimine notorio nullas dilationes dandas, qui afferunt, contra favorē defensionis, quam & Deus diabolo in paradiso non denegavit, peccant. Sed cur Paulus in *L. 41. ff. ad L. Jul. de adult.* negat, dilationem concedendam esse in crimine adulterii? Scilicet ob criminis qualitatem, quod cum occulte fiat, testes aut non, aut vix admittit. Vid. Hahn. *ad Wesf. tit. de fer. n. 12.*

Th. xxiv.

Th. XXIV.

Actorem teneri reo edere instrumenta, quibus utitur ad intentionem suam fundandam, constat ex *L. i. ff. de edend.* Vicissim teneri reum actori instrumenta edere ad fundandam ejus replicam statuunt *Dd.* propter *L. f. C. d. i.* Quod etiam in Praxi servatur. *Mev. P. 2. D. 27. Berlich. P. 1. Conclus. 45. n. 31.* Nos tamen contrarium juri nostro convenientius existimamus, ad *d. L. f.* in cathedra responsuri.

Th. XXV.

Quamdiu libellum emendare, quamdiu mutare liceat, convertitur inter *Dd.* Quicquid alii statuunt, in puncto juris verisimum esse putamus, libellum ante & post *L. C.* tam emendari, quam mutari posse, & hoc in primis propter *S. 36. f. de act.* ubi mutatio libelli eodem judicio permittitur. At vero judicium apud Romanos non incipiebat nisi a lite coram *Pedaneo* iudice contestata per *L. un. C. de lit. contest.* Quod ergo in judicio fieri dicebatur, hoc dicebatur fieri post *L. C.* Effectus insignis est, si enim mutare non liceret, omnia processus præliminaria forent renovanda, imo & omnes exceptiones dilatoriarum locum invenirent. Contraria tamen sententia in Praxi recepta. *Carpzov. P. 1. C. 11. D. 1. 2. 3. § 9.*

Th. XXVI.

Pactionem & pactum *Ulpianus* pro synonymis habet in *L. i. § 1. & 2. ff. de pact.* quod generaliter quidem admittimus; Accuratè tamen loquendo, diversa omnino sunt pactio & pactum; Et utinam hæc distinctio ab omnibus attendereetur, non tam faciles essent nonnulli in neganda quaestione: An moribus hodiernis ex pacto detur actio? Non posse enim hoc cum ratione negari firmiter statuimus, eandem vim pactis & de jure *Can.* tribuentes, propter *L. 1. & 3. X. de pact.* Quamquam hic *Zoefius* aliiq; dissentiant,

Th. XXVII.

Licet omnia pacta omnesque obligationes ex jure personali sint, non tamen absurdum est, dari & pacta realia; Quemadmodum servitutes quidem speciem juris in re constituunt, sed tamen illarum quædam sunt personales.

B

Th. XXVIII.

Th. XXIIII.

Pactum de quota, h. e. tertia, quarta, quinta &c. litis parte inter advocatum & clientem expresse sub pœna remotio- nis prohibitum in *L. 5. C. de postulando.* ad præcedenda quævis illicita media, quibus aliàs advocatus tentaret, per fas & nefas, ut ajunt, victoriam reportare. Id quod rectissime ad illum casum, si certa quantitas, v. g. 20. thaleri advocato promissi sint, hac conditione si victor evaderet, extenditur. *arg. L. 7. ff. mand.* Ast parum id observatur in Praxi, *Carpz. L. 3. Resp. 1. n. 14.*

Th. XXIX.

Pacta metu inita de jure Gentium non subsistere existima- mus. Aliud de jure civili: Ubi tamen prætor exceptionem largitur. Pacta vero errore inita ipso jure nulla sunt. *arg. L. 15. ff. de jurisd.*

Th. XXX.

An quis alii pacisci possit, vulgata quæstio est: Communi- ter negatur, nisi paciscentis intersit, per §. 18. *f. de inutil. stipul.* Sed in omni pacto pro alio paciscentis interest, quippe eo ipso il- lius negotium gerere cœpit; hoc igitur, ut perficiatur, curare de- bet, ni actione negotiorum gestorum teneri velit.

Th. XXXI.

Pacta etiam hosti servanda, nec fidem temere violandam docet Grotius *de J. B. & P. Lib. 3. c. 19.* Et rectè, cum alias omnium hominum commercia tollerentur. Pariter impiissima vox est, hæreticis non esse servandam fidem, sic enim & illi, ut fidem fran- gant, alliciuntur.

Th. XXXII.

Sunt, qui inter pactum & stipulationem nullam differentiam admittunt. Enim vero satis eos refellit Paulus in *L. 4. S. 5. ff. de pact.* ubi mutum etiam pacisci posse asserit, potest enim ille con- sensum suum vel scriptura, vel alio modo declarare, modo non natura simul mutus ac surdus sit: Quis vero eundem stipulatio- nem celebrare posse asserat? Insuper & inter absentes pacta con- trahuntur, non æque stipulationes.

Th. XXXIII.

Th. XXXIII.

Redditiōe chirographi remissum videri debitum *L. 2. §. 1. ff. de pact. evincit.* Sed quæritur, si creditor plura instrumenta habeat, an tum remisso chirographo videatur remissum debitum? Placet negativa cum Brunnemanno *in Comment. ad d. L. n. 7.* Sed illud notatu dignum est, quod Bérichius *P. 2. D. 244.* tradit, ubi statuit, si debitori inopi ob paupertatem remissum sit debitum, ubi ad meliorem fortunam pervenit, posse, quod antea remissum est, repeti; & quidem in specie creditorem conditione ob turpem causam experiri posse, asserit. Nos tamen contrarium statuimus, cum nulla in debitore, ne minima quidem turpitudine adfit. Vid. laud. D. Brunnem. *in Comment. ad L. 8. d. t. n. 15. & seqq.*

Th. XXXIV.

De crimine privato transigere licet, sed transigens incurrit notam infamiae per *L. 4. §. ult. de his q. not. inf.* Interim tamen iudici non denegatur potestas ipsum pro gravitate delicti puniendi. Aliud in crimine capitali, ubi, licet quis transfegerit, non tamen pro confesso habetur, quia id favore redimendi sanguinis fecisse videtur. per *L. 18. C. de transact.*

Th. XXXV.

Sed cur de adulterio transigere *in d. L. 18.* prohibitum? Ratio sine dubio est, quia non absque lenocinio pars altera pecuniam accipere posset. Illud vero hodie aliter se habere vult Carpov. *Prax. Crim. q. 71. n. 31.* Enimvero confundit sine dubio Carpov. remissionem cum transactione; illa hodie licita, veluti, si pars innocens nocenti injuriam remittat, & in matrimonio detineat. Deinde remissio gratis fit, transactio accepta pecunia.

Th. XXXVI.

Scripturam ad transactionem præcisè non requiri, constat *ex L. 38. C. de transact.* Sed quid si conventum, ut transactio in scriptis celebretur? Eo casu, nisi perfecta scriptura, non valebit transactio.

Th. XXXVII.

Th. XXXVII.

An transactio ob immodicam læsionem rescindi possit, valde disputatur. Receptior sententia est affirmantium propter *L. 2. C. de rescindend. vend.* In puncto juris tamen contrariam sententiam veriorē existimamus.

Th. XXXIIX.

De relictis in testamento transigi non posse, nisi inspectis prius testamenti verbis, a Cajo didicimus in *L. 6. ff. de transact.* Quod idem adeo verum esse existimant Dd. ut ne quidem huic legi renunciari possit, nequidem juramento *arg. L. 5. C. de leg.* Quod tamen de jure Canonico servandum per *c. Quamvis de pactis in V. lio.* Sed illa major controversia est, an pactum gratuitum de illis valeat? Affirmat Lauterbachius, Bachovius, Struvius, alique; Nos vero de illa sententia dubitamus: Sanè non sufficiens est ratio illorum, quod demonstrabimus in cathedra.

Th. XXXIX.

Singulare est in transactione, quod ille, qui semel implevit, pœnitere non possit, & quidem favore sopiendarum litium per *L. 39. C. de transact.* Certe aliud est in contractibus innominatis, ubi, qui implevit contractum, adhuc pœnitere potest. *L. 5. pr. ff. de condict. caus. dat. caus. non fec.* Idem vero in transactione non licet *d. L. 39. junctâ L. 10. C. d. t.* Dissentit tamen Wesenbecius.

Th. XL.

Transactionem nisi dato aliquo vel retento non valere assertitur in *L. 38. C. d. t.* Sed quid si donandi animus adsit? Valebit, ut donatio, non ut transactio.

L. 34. C. d. t.




Kc 538

X2615744

Sep. 99
Vb A





ntur,
parti
Capit.
onfu
strati
Th,
im ac
t ex I
jude
m vel
public
tis tet
dices
n judi
c, uti
s-Ord
s cond
conder
i facin
endis
ubi I
fed qu
omnib
norur
ave cir
Dn. Br
ous eff
ata cor
ffit, ve
o anni
4. ff. d
ibus ce
itio an
eat, tr
lebitur
Carpz.



L. F. F. L. S.
COLLEGII PUBLICI
DISPUTATIO II,
Exhibens

SELECTIONES CONTRO-
VERSAS

Ad
LIBR. II. PANDECTA-
RUM,

Quam
In ALMA FRIDERICIANA

SUB PÆSIDIO
DN. JO. SAMUELIS STRYKII,
J.U. Lic. & Prof. Publ. Extraordinarii,

In AUDITORIO PUBLICO

Die XVII. Martii A.R.S. M DC XCIV.

placidæ disquisitioni
submitit

JO. ANDREAS DETMAR,
Wolffenbüttelenfis.

HALÆ, Læteris SALFELDII, Regiminis Elef. Brandenb. Typ.

